









12  
J



5197.

vid. N. N. D. N. 2.

3

I. N. 7.  
DISSERTATIO JURIDICA  
De

*[Handwritten flourish]*

*[Handwritten marks: A, 5]*

JURE RETENTIONIS  
MULIERI COMPETENTE  
IN  
BONIS MARITI,

1667 5

*Quam*  
Consensu Magnifici & Amplissimi Jctorum Ordinis

*In*  
Alma Electorali ad Albim Academia

*[Handwritten mark: 3 1/2]*

PRÆSIDE

VIRO *Nobilissimo, Consultissimo & Excellentissimo*

DN. WILHELMO LEISERO,


Jcto, & Antecessore in hac Academia famigeratissimo, Curia  
Electoralis, Scabinatus & Facultatis Juridicae Assessore  
Gravissimo,

*Dn. Praeceptore ac Patrono suo aeternum colendo*  
Publicae Ventilationi submittit

Hanns Christian von Schierstedt / Nobil. Magd.

*In Auditorio Jctorum, horis antemeridianis,*

*Die Februarij.*



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

Anno M DC LXVII.



15

LITTERATA JURIDICA

JURE REFORMATIONIS  
MULLERI COMPETENTIE  
IN  
BONIS MARIIT

Consensu Magnifici & Reverendissimi Jurisconsulti Ordinarii

Almae Universitatis ad Almam Matrem

PARVIAE

DR. WILHELMO FISSERO

Ordinarii in hac Academia Jurisconsulti, Ordinarii

in hac Academia Jurisconsulti, Ordinarii

in hac Academia Jurisconsulti, Ordinarii

Primum Editum in Almae Universitatis

in Almae Universitatis

1717

in Almae Universitatis

1717

in Almae Universitatis





C. S. S.

TH. I.

**R**es partes sunt, in quibus totum Jus nostrum consistit, secundum *l. fin. ff. d. LL.* nimirum, ut acquiramus, quod non habemus, acquisitum retineamus, & retentum amittamus. Ex hisce mediam partem, conservationem scilicet rei acquisitæ prævalere cæteris non dubitamus. Non enim acquisivisse nos intelligitur, nisi & Jus retinendi, quod per acquisitionem accepimus, concedatur *L. 3. pr. ff. d. act. empt. l. 22. d. acquir. vel Amitt. Poss.* neq; amisisse, si amissionem per retentionem impedire queamus. Profectò non minor est virtus, quàm quærere parta tuæri. Quod verò quis non habet, quomodo id poterit ad alterum transferre. *l. 54. ff. d. R. I.* Igitur cum Retentionis materia nobilissima, & in forò sæpissime sit usitata, de hac in genere pauca quædam differere nobis perplacet, eaq; in specie deinceps ad Jus Retentionis, quod Viduæ in bonis Mariti competit applicare,

TH. II.

Fundamentum autem Retentionis, Possessionem constituimus, quam si acquisitam non amittamus, semper retinere intelligimur. Neq; enim ad Dominium  
4 2 fed

sed possessionem Retentio pertinet, ut patet ex *L. 1. pr. ff. d. Pign. & l. 29. §. 1. ff. d. evict.* Nec officit quod Retentio jus sit: nam & ipsa possessio, quam facti esse satis constat *l. 1. §. 3. & 4. L. 29. ff. d. acquir. vel Amitt. Poss. l. 19. Ex quibus caus. maj. l. 12. §. 2. d. capt. l. 1. §. 15. Si is qui testam. liber. plurimum ex jure mutuatur l. 49. pr. ff. d. acq. vel A. P.*

### TH. III.

Sed non sufficit nosse, Fundamentum Retentionis esse Possessionem, requiritur & cognitio, quatuorplex illa sit, ut intelligi possit, qualem possessionem unus vel alter retineat. Distingvimus vero hanc in *Naturalem & Civilem. Naturalis* Possessio, quæ alias corporalis vocatur *l. 40. §. 2. ff. d. Pignorat. act.* est jus aliud quod rei insistenti, eamq; sibi habendi, sed extra Dominium. v. g. Naturaliter possidet pignus creditor ex Jure Pignoris. *Civilis* Possessio, quæ alias vocatur *Juris l. 49. §. 1. ff. d. A. v. A. P. l. Nemo 10. C. eod. tit.* est rei Detentio, quæ ex justâ Dominii causâ descendit, & cum animo & affectione Domini est conjuncta. Vid. *Facin. in controu. lib. 8. cap. V. lit. D. Ant. Peretz in Cod. d. A. v. R. P. n. 2. Zoësius in Comment. ad ff. d. A. v. A. P. Habn. d. l. n. 3. v. Dicitur & aliò sensu.*

### TH. IV.

Et hæc Distinctio auctoritate juris nititur *l. 2. §. quod vulgo ff. pro hered. l. 1. §. de jicitur ff. d. vi & vi Arm. l. Nemo 10. C. d. A. & R. P.* & ob triplicem causam adhibetur (1.) *Respectu Persona.* (2.) *Respectu Causæ.* (3.) *Respectu modi Possidendi.* *Respectu Persona*, ut omnis homo possidere valeat, quod si tantummodo esset Possessio civilis, exclu-

excluderetur Servus, qui jure Civili habetur pro nullo /  
 32. ff. d. R. I. Sic l. quod Servus 24. ff. d. A. v. A. P. dicitur, Ser-  
 vum peculium suum possidere civiliter non posse, sed  
 naturaliter tantum: Et l. 38. §. 7. d. V. O. stipulatur Ser-  
 vus, sibi possidere licere, & quaeritur ibidem, an etiam  
 hanc stipulationem utiliter in suam personam concipere  
 possit, & Respondetur, quamvis civili Jure Servus non  
 possideat, tamen ad Possessionem naturalem hoc refe-  
 rendum esse. (2.) Respectu Cause hæc distinctio est  
 necessaria. Nam Dominus qui possidet rem suam ex  
 causâ justa, & ad Dominium transferendum habili, civi-  
 liter possidet, ubi verò causa justa non est & Titulus ad  
 transferendum Dominium in habilis, naturalis tantum  
 possessio concedi potest l. 1. §. dejicitur. 9. ff. d. vi & vi  
 arm. l. 1. §. ult. ff. uti Possid. Excell. Dn. Strauchius Dissert. XVI.  
 §. 13. & 14. (3.) Respectu Modi, nam qui possidet civiliter  
 ille animò, Possidet, qui vero corpore tantum, natu-  
 raliter, id quod patet ex l. 15. §. 4. ff. d. precario, Fachin. l. 8.  
 contrrov. c. 5.

TH. V.

Utramq; vero possessionem animò retineri  
 posse non dubitamus secundum §. 5. Inst. d. Interd. l. 4. C.  
 d. A. & Retin. Possess. nè per singula rerum momenta quis  
 insistere rebus suis, & illis veluti incubare cogeretur ar-  
 gum. l. 44. pr. ff. d. t. Sic possessionem retinet, qui ad  
 nundinas abiit. l. 6. §. 1. eod. qui saltus hybernos, asti vos-  
 que certis temporibus relinquit, si modo interea res  
 vacua maneat, aut si occupatam ignoremus, aut si  
 putemus, occupantem nobis cessurum, aut nos facile  
 eum exclusuros. l. 25. §. 2. l. 46. ff. d. A. v. A. P. consentit  
 Dn. Habninus ad Wesenb. d. t. n. 3. v. solus animus.

A 3

TH. VI. Non

TH. VI.

Non obstat, quod Possessio animo & corpore simul acquiratur, nec per se animo, aut per se corpore *l. 3. §. 1. ff. d. A. v. A. P.* Possessio enim facti est. *l. 1. §. 3. §. 4. ff. d. r.* adeoq; non nisi actu aliquò corporeo interveniente acquiri potest. *DN. Ludwell. in Comment. ad Instit. d. Interd. §. 5. n. 4.* Dicimus autem Possessionem facti esse, quatenus acquiritur, Juris verò cum acquisita sit. Unde eatenus animò solò eam retineri, absurdi nihil implicat *vid. Fachin. lib. 8. Controv. c. 5.*

TH. VII.

Ut vero sciamus quid sit Retentio, sequimur *Jctum in l. 1. pr. ff. d. Just. & J.* & post fundamentum Retentionis positum progredimur ad ipsius Retentionis definitionem. *Retentio autem est quadam Juris antiqui per continuationem possessionis reservatio, nihil de novò tribuens. Vid. Malign. tract. d. Retentione quest. 1.* & causam trahit vel à re, & specie retenta, vel ab ipsius debiti natura. *DN. Job. Altbuffius Tract. d. Jure Retentionis, n. 3.*

TH. VIII.

Primum videamus de Retentione quæ causam trahit à re vel specie retentâ. Conceditur hæc vel propter *impensas* in rem retentam factas, vel *ex Jure quodam in re, nempe pignoris.* Propter Impensas, quas quis in rem alienam fecerit eamq; conservaverit, aut melioraverit, ut Retentio concedatur, suadet æquitas naturalis, quæ neminem patitur locupletari cum alterius jacturâ. Jacturam autem faceret, si rem ante refusionem Impensarum dimit-

dimitteret, quam deinceps repetere nullâ actione valet  
*l. 33. in f. ff. d. condict. Indeb. l. 51. eod. l. 14. ff. d. Doli mali &  
met. except.* Ita ut & Prædoni hæc Retentio denegari non  
possit propter impensas necessarias in rem alienam  
factas secundum. *l. 36. §. ult. l. 38. ff. d. Pet. bared. l. 5. C. d. R. V.*

TH. IX.

Sed ut hæc Retentio locum habeat, necesse est  
moderatè impensas esse factas, quæ non onerent Patrem-  
familias *l. 25. ff. de Pignorat. act.* ut quasi impar sumtui,  
rem suam de relinquere cogatur *l. 10. §. 1. ff. d. Negot. Gest.*  
Et hoc introductum inquit *Gaius* contra potentes Hy-  
pothecarios, qui Dominia Possident sub pactò de re-  
luendo (*Pfandinhaber*) & rem hypothecatam novis &  
pretiosis ædificiis ita exornant, ut sumtuum magnitu-  
dine Dominum à reuisione excludere, & sibi proprie-  
tatem Domini retinere satagant, *d. Gaill. Lib. 2. Observat.  
Præf. Observat. XII. n. 6.* quem sequitur *Rudingerus in Ob-  
servat. Cameral. Cent. 4. Observat. 7. n. 3.*

TH. X.

Sequitur nunc alterum, ex quo Retentio datur,  
nimirum *Jus Pignoris*. Cum enim rem alienam non obli-  
gatam quandoq; retinere liceat, multo magis obligatam,  
donec solutum sit debitum. Et sic videmus creditorem  
retinere posse pignus pro re debita *l. 5. Res hypothecas &  
l. Grege §. si sub conditione ff. d. Pign.* Dominum Prædii à se  
locati bona conductoris inuenta & illata, pro pensione  
debita. *d. l. 5. Pr. l. 2. l. 6. l. 7. & l. 9. ff. in quibus causis pignus  
&c.* Sic etiam retinetur redemptus ab hostibus à redi-  
mente pro pretio redemptionis *l. 2. C. d. Postlim. Rev. l.*  
*Senatus*

*Senatus 43. §. ult. ff. d. Legat. 1. donec id restituat, aut si pecuniam non habeat, vicem beneficii referat, vel laboris obsequio, vel opere quinquennii l. 20. C. d. 1. de Postlim. Rev.*

TH. XI.

Diximus jam de re Debitoris, quod obligata retineri possit. Nunc inquirendum nobis erit, quid sentiendum de re aliena, si nimirum debitor rem apud se depositam pignoris loco det creditori suo, an creditor eam retinere possit. Respondemus quod sic, si modo ejus rei Dominus post obligationem ipse debitor esse ceperit. *l. 41. ff. de Pignorat. act.* tunc licet creditor rem alienam esse sciverit, tamen retinendi habet facultatem. *l. 1. pr. ff. d. Pign.* quamvis agere actione pignoratitia adversus Debitorem nequeat. *l. 10. §. 1. ff. d. Pignorat. act.*

TH. XII.

An vero res debitoris pignori non obligata, cujus Possessionem aliquam ex causa nactus est creditor, retineri possit, inter Doctores valde controversatur. Affirmativam communiter subscribunt Pragmatici. Sed errare eos recte notat *Anton. Faber in Cod. l. 8. tit. 15. defin. 5. n. 1.* Non magis enim is, qui de pignore nullum modo convenerit, potest retinere rem Debitoris pro pignore, quam agendo eam persequi, argum. *L. Aristo. 3. ff. Quae res Pign.* Et est pro hac sententia textus satis apertus in *l. Si non inducta. 5. C. in quibus Causis Pignus vel hypothec.* cujus verba ita sonant: *Si non inducta, & illata in fundum, quae pignoris causa teneri placuerat, mancipia fuissent, nec haec specialiter obligata monstrantur. Recte Provincia ea restitui jubebit. Nec enim Praetextu Debiti Pensionum, restitutionem eorum morari potest &c.* Facit etiam *l. ultima. C. Commod.* ubi Praetextu debiti

debiti restitutio commodati non probabiliter recusari  
dicitur.

TH. XIII.

Aliud verò dicendum, quando res ex aliquâ  
causâ obligata est, eamq; vinculo Pignoris creditor tenet,  
tunc enim pro alio etiâ debitò retinere eâ licere patet ex  
*tit. Cod. Etiam ob Chirographar. pecun. pignus retin. pos. Vid.*  
*Magnif. Dn. Carpzov. p. 2. Jp. For. Const. 25. Defin. 26. in f.*

TH. XIV.

Et hæc dicta sunt de Retentione, quæ causam  
trahit à re, vel specie retenta. Nunc progredimur ad al-  
teram partem, quæ Retentionem concedit *ex natura de-*  
*biti. Debitum vero* vel per se Retentionem sua det: v. g. Si  
Judex Debitorem malè absolverit; cum tamen revera  
debeat: tunc creditor nullam habet actionem, bene verò  
Retentionem, si Debitor sponte solverit *l. 28. ff. de condit. et*  
*Indeb.* Multa enim Retentione servantur, quæ alias non  
exiguntur *l. ex quibus causis 51. ff. d. t. l. Paulus 14. ff. de Dol. et*  
*met. except. vel debitum Retentionem suadet, si*  
potestatem Retinendi per pactum Debitor concessit,  
tunc creditor, qui alias retinere rem non posset per  
tradita superius *th. 11. vim facere non videtur. Arg. l. 3. C.*  
*d. Pignoribus.*

TH. XV.

Et sic in genere Retentionis naturam paucis  
delibavimus, pervenientes ad scopum, in quem animus  
noster est intentus, nimirum ut videamus, *quatenus jus*  
*hoc Retentionis sit concessum mulieri in bonis Mariti, ut bona sua*  
B salva

*salva habeat. Et hanc Retentionem ita definire placet, quod sit continuatio Possessionis bonorum mariti jure proprio, non tantum eo sine, ut suum facilius consequatur, sed & ut interea ex his alimenta pro se suisq; habeat.*

TH. XVI.

Et sic nervosè satis jus hoc mulieris esse definitum non dubitamus. Genus fecimus possessionem, cum ut supra diximus, semper retentio requirat possessionem *d. l. 1. pr. ff. d. Pign.* ita ut si hæc amittatur, & illa corruat secundum *l. 33. in fin. l. 51. ff. d. Condi&ct. Indeb.* Quapropter addidimus vocabulum continuare, quod nimirum in possessione firmiter maneat, nec eam de relinquendo hæredes, aut creditores mariti intromittat, sed adversus se agentes exceptione Doli oppositâ excludat, eum semper is, qui æquitate Defensionis infringere actionem potest, doli exceptione tutus sit. *l. 12. ff. de Doli mali & met. except.* Jam autem mulier habet actionem ex stipulatu, quâ oppositâ præfertur omnibus mariti creditoribus, etiam anteriorem hypothecam habentibus, *l. 12. Affiduis §. 1. C. qui potiores in pign.* Habet etiam rei vindicationem *l. 29. C. d. J. D.* Ergò etiam exceptionem, quæ multo magis quam actio datur. *l. 1. §. 4. ff. de superf. l. 123. l. 156. ff. d. R. J.*

TH. XVII.

Obstare videtur *l. 9. C. Sol. Matrim.* in quâ denegatur mulieri Retentio & è contrario dicitur, quod de Dote consequendâ mulier agere debeat adversus hæredes mariti. Verba legis hæc sunt *Doti actione Successo-*



res mariti super eò, quod ei Dotis nomine fuerat datum convenire debes. Ingrediendi enim possessionem rerum Dotatum, heredibus mariti non consentientibus sine auctoritate competentis Judicis, nullam habes facultatem. Sequimur verò Mollignati Responſionem *Quest. 20. d. l.* quod hic textus intelligi debeat de bonis Mariti, jam occupatis ab heredibus, quæ si tunc ad se traheret, vitio possideret, quod ut evitet, necessario erit agendum adversus hæredes. Non vero ita sese res habet, si in possessione tempore matrimonii cæpta permaneat.

### TH. XVIII.

Differt verò hæc Possessio à Possessione, quam mulier habebat constante matrimonio, quam ad Jus familiaritatis vulgo referunt. Id autem si admittamus, vera possessio vivò marito penes mulierem haud erit. Nam qui Jure familiaritatis amici fundum ingreditur, non videtur possidere, quia non eò animò ingressus est, ut possideat, licet corpore in fundò sit *l. 41. ff. d. A. v. A. P.* Ergo, si qua possessio apud uxorem vivò marito esse videtur, illa ad ipsum potius maritum referenda erit, atq; uxor ministerium tantum Possessioni Mariti præbëbit. Quod mirum videri non debet, cum & alias in causa Possessionis liberorum hominum ministeriò uti, Jure nostrò receptum sit, *S. ex his 5. Inst. per quas Pers. cuiq; acquir. l. Ea. que civili 53. ff. d. A. R. D. l. Quod meò 18. l. Possessio 49. S. ult. ff. d. A. v. A. P.* Qui hætenus non possidere, sed in possessione esse dicuntur. *l. Generaliter 9. ff. eod. Jure Saxonico adhuc amplius quid Uxoribus tributum videtur per textum in Land Recht. art. 31. ibi: Mann und Weib haben nicht gezweyet Gut zu ihren Leibe.*

TH. XIX.

Sed quæritur, An mulier possit sibi mutare causam Possessionis, id quod affirmamus, dummodo id vel *verbis* vel *facto* declaret. *Verbis*, si apud acta, vel coram testibus protestetur, se velle insistere bonis mariti Jure suo, in quibus antea fuisset Jure familiaritatis. *Re* autem & *facto* ostenditur voluntas, si hæredes in Domum mariti ingredi non permiserit, vel claudendo Domum claves penes se retinuerit. vid. *Molign. d. l. Marta Neapolit. in Tomis ad univ. jus. Tom. 1. vocab. Retent. cap. VI.* Non obstat *l. 3. §. 19. ff. de A. v. A. P.* ibi: *Illud quoque à veteribus præceptum est, neminem sibi ipsum causam Possessionis mutare posse.* Hæc Regula enim explicatur *l. 19. §. 1. ff. d. t.* quod tunc procedat, si quis corpore & animo incumbens hoc solum statuatur, ut aliâ ex causâ id possideret, non verò, si dimissâ possessione primâ ejus rei denuo ex aliâ causâ Possessionem nancisci velit.

TH. XX.

Quanam vero bona mulier retinere possit, specialiter in definitione non expressimus. De *Allodialibus* non est dubium, quin ea retineat, quæ tacite mulieri pro Dote sunt hypothecata *l. un. §. 1. C. de Rei uxor. act.* De *Feudalibus* dubiam cui movere posset textus *in tit. 1. §. 3. lib. 3. Feud.* ubi dicitur, *quod Filia à successione feudilibus removeantur.* Rationem reddunt, quod nequeant servitia præstare militaria, cætui ac consortio virorum, se immiscere, viros comitari ac sequi. Nos respondemus, quamvis regulariter res ita sese habeat, non tamen semper hoc procedere, & probamus hanc sententiam nostram *ex Tit. XXIV. d. l. 1. F.* ibi; *quod filia non habeat benesciunt*

nescium Patris, nisi à Domino redemerit, qui ex pacto & conventionione Jus successionis sexui fœminino indulgere potest. Remissa enim censentur obstacula, vel concessa facultas per substitutum officium Vasalli facere. Vid. *Dn. Carpzov. de Juribus Fœmin. Decad. 8. Posit. 10. n. 11.* Quare cum videamus etiam succedere posse mulieres in feudo, non est quod dubitemus de Retentione, per quam usus tantummodo impeditur, non verò Dominium transfertur. Vid. *Meichsnerus Tom. 3. Decis. Cam. Decis. 9. n. 163.*

### TH. XXI.

Finis Retentionis nostræ est, non tantum, ut mulier id, quod sibi ex bonis mariti debetur, facilius consequatur, verum etiam, ut interea alimenta pro se suisq; habeat *l. 29. C. de J. D.* Id quod etiam Jure Saxonico obtinet *Const. 25. Part. 2. v.* Wie denn auch die Frau so lange das Jus Retentionis in den Lehngütern / und ihre Unterhaltung haben soll / bis sie des Jhren vergnüget. Vid. *Dn. Carpzov. ad hanc Const. Desin. XI. n. 4. & 5.*

### TH. XXII.

Alimenta vero dimetienda sunt ex necessitate non verò voluntate mulieris, quæ contenta esse debet, si habeat, quæ ad usum necessaria sunt, habita simul ratione quantitatis Dotis, aut ejus, quod alias ipsi ex bonis mariti debetur. *Dn. Merivius ad Jus Lubecense lib. 1. Tit. V. Art. XIII. num. 50.* De cæteris bonis, quæ administrat, se obnoxiam facit rationibus reddendis, & cogitur fructus ultra alimentorum modum perceptos, aut restituere, aut in summam Dotis imputare, adhibito Jramento  
si non

si non fecerit inventarium. Vid. *Matthæus Colerus Process. execut. Part. 1. c. 2. num. 201. Berlich. conclus. Pract. Part. 2. Conclus. XXXII. n. 22. & seqq.*

#### TH. XXIII.

Quò tempore verò Retentio concedatur, illud ex supradictis satis manifestum est, scilicet, non nisi post dissolutionem Matrimonii, quò tempore actiones de Dote initium accipiunt *l. 7. cum Notissimè §. 4. Illud C. de Prescript. XXX. & XXXX. ann.* Excipimus ab hac Regulâ, si nimirum Maritus constante matrimonio vergat ad inopiam, quia periculosum est apud eum Dotem relinquere, qui se suaq; negligit. *Dn. Zoësius in Comment. ad ff. de J. D. n. 22.* à pari enim procedunt, quo ad actionis exercitium sive actionem Dotis, Matrimonium esse dissolutum, vel maritum constante matrimonio ad inopiam vergere. Vid. *Dn. Gaill. lib. 2. Pract. Observ. observ. 83. n. 2. Mevius d. l. n. 31.*

#### TH. XXIV.

Diximus in definitione Durare Jus hoc Retentionis usq; ad exolutionem debiti. Quod nam verò Debitum mulier in Bonis Mariti habeat, inquirendum jam nobis est, & non dubitamus primariò esse Dotem illatam, Cujus Dominium quamvis LL. subtilitate in Patrimonium mariti transferri videatur, naturaliter tamen remanet in Dominio uxoris *l. in rebus 30. C. de J. D.* Hujus enim Dos esse dicitur. *l. 75. ff. d. t.* & habetur proprium illius Patrimonium. *l. 3. §. ergo etiam ff. de Min.* Videtis *Dn. Carpzov. de Juribus Fœmin. Decad. 5. Post. 3. n. 6, 7. & seqq.*  
Germa-

Germanicè vocatur, der Frauen eingebrachte Mitgift/  
Ehesteuer / Brautschatz / Ehegeld.

TH. XXV.

Sed Dotis Dominium amittit mulier, eamq;  
pleno Jure acquirit maritus si in Dotis locum mulieri  
constituat Dotalitium, quod Germ. vocatur, ein Leib-  
geding / Leibzucht / Witthumb. De quibus vid. *Mevius ad  
Jus Lubeccens. Part. 2. Tit. 2. Art. XII. n. 390.* Denn wann die  
Frau das Leibgeding angenommen / so verleschet und  
geheth dagegen ab ihre Mitgift und Einbringen. *Dn.  
Bachovius ad Treuth. vol. 2. Disput. VII. Thef. VII. Lit. A. v. ex  
qua Doctrina.* De quò equidem in jure Civili parum vel  
nihil reperire licet, attamen universali consuetudine  
per totam penè Germaniam, in primis verò in terris  
Saxonicis longissimò usu eorum maximè, qui feuda  
possident, hoc est comprobatur. Vid. *Dn. Carpov.  
Decad. 5. Post. 8. n. 5.*

TH. XXVI.

Sed non uniformiter ubiq; de Dotalitio mulie-  
ribus est prospectum, idq; ex LandRecht *Addit. lat. ad  
Artic. 75. lib. 3. lit. a. in med.* apparet, adeoq; semper cujus-  
que Provinciae usus ac mores sunt observandi. In terri-  
torio tamen Saxonico modus legitimus & usitatus Do-  
talitii est usus fructus duplicatus ejus, quod Dotis no-  
mine illatum est. Vid. *Hartm. Pist. part. 1. Quest. 4. n. 1.  
Georg. Schultz. Synops. Inst. de Success. Conjug. n. 4.* utputa si  
mulier mille intulerit marito, tenetur ei maritus duo  
millia aureorum Dotalitii nomine constituere, ita ut  
annuatim pro singulis centenis decem aureos pensionis  
nomine

nomine percipiat: & ita usum fructum tantummodo habet, non vero proprietatem. Vid. *Carpzov. Jp. For. p. 2. Const. 42. Defm. 2. n. 8.* So wird das verschriebene Leibgedinge nach dem Einbringen billich geachtet / und gerichtet / und der Wittben davon die Leibzinsen / vermöge der gemeinen Sächsischen Landes Gebräuche gedoppelt als 10. von jeden 100. fl. Jährlich abgestattet.

### TH. XXVII.

Sed quaeritur, an Vidua, si ad secundas nuptias transeat, & Dotalitium à priori marito acceptum in Dotem dederit, ad quantitatem dotalitii aliud petere possit, quod negamus cum *Hartm. Pifst. lib. 1. quest. 14. n. 10.* sequeretur enim exinde, ut Dotalitium quasi Dos bonis mariti incorporaretur, & perpetuo penes eum, ejusq; haeredes maneret. Dotalitii autem natura est, ut perinde ac usufructus cum ipsa personâ expiret. *S. fin. Instit. d. usufr. l. 3. S. fin. ff. quibus modis usus vel usufr. amitt. l. pen. C. eod.* Quod tamen ita intelligendum, si nulla pacta sint de aliò Dotalitio constituta, quæ si intervenerint, & Dotalitium consensu agnatorum & haeredum constitutum fuerit, tunc utiq; pactis standum erit. Vid. & *Dn. Carpzov. d. l. Defm. VI. n. 5.*

### TH. XXVIII.

Dotalitio autem non constitutò libera Electio datur uxori, utrum Dotalitii constitutionem exigere, an verò Dotem repetere velit. *Const. Saxon. 44. p. 2.* Wenn es sich aber begeben / daß die Frau von ihren Manne legen ihr Einbringen nicht beleibdinget / und sie will nach seinem Absterben kein Leibgedinge haben / sondern fordert ihr einge

eingebracht Ehegeld / die Lebensfolger wollen sie aber  
beleibdingen / und das Ehegeld nicht geben / so ist es be-  
schlossen / es soll in der Frau Willkühr stehen / ihr einge-  
brachtes Ehegeld wieder zu fordern / oder aber das Leib-  
gedinge anzunehmen. Et hoc maximè æquitati conve-  
nire asserit *Dn. Carpzov. ad d. Const. Desin. 2. n. 5.* Ne Vidua  
seniò forsàn confectæ facultas de Dote ac bonis suis  
testandi auferretur, atq; quod in favorem ejus intro-  
ductum in odium detorqueretur. Quæ ratio etiam facit,  
ut Dotalitio, licet maritò vivente constitutò, mulieri  
tamen post mortem mariti, eandem optionem, usque  
dum Dotalitium apprehenderet, competere, Doctores  
nostri dicant *Dn. Carpzov. d. l. Desin. 3. Nobiliss. Dn. Seruv.*  
*Syntagm. Jur. Feud. Cap. 14. Thes. 15.* benigna magis quàm  
juris textibus comprobata sententiâ.

#### TH. XXIX.

Deinde in quæstione, quid mulieri debeat, in-  
spicienda sunt pacta Dotalia, quæ regulariter servanda  
sunt, sicut ex *l. 2. c. de Pactis conventis &c.* videri potest,  
imò valent, licet contra statuta, vel consuetudines sunt  
inita, si modo non his reprobata, alias rejicienda sint  
per *l. Pacta que contra. c. de Pactis.* Vid. *Gaill. lib. 2. Observat.*  
*78. num. 7. & 8.*

#### TH. XXX.

Quid autem dicendum, si se pactis Dotalibus  
læsam ultra dimidium statutarie portionis quæratur  
mulier. Respondemus cum *Dn. Berlichio p. 3. Conclus. 27.*  
*n. 32.* non ei succurrendum esse propter incertitudinem  
eventus, quæ læsionem in futurâ successione exulare  
jebet,

C

jubet, cum incertum sc. sit, uter præmoriatur, maritus  
an uxor. Vid. *Dn. Carpzov. de Juribus Fœmin. Decad. 8. Post.*  
*2. n. 18.* neq; deinceps confugere potest ad portionem  
statutariam, quam lex disponit, conventio enim & dispo-  
sitio hominis facit cessare dispositionem legis *l. 1. §. si con-*  
*venerit 6. ff. Depositi.*

TH. XXXI.

Queritur autem an Pacta Dotalia alterò con-  
juge invitò mutari possint. Nos putamus, hanc rem  
optimè decidi posse distinctione quadam adhibitâ. Aut  
Pacta Dotalia valent vi pacti, & contractus, aut  
quando ita valere non possunt, sustinentur Jure testa-  
menti vel ultimæ voluntatis. Vid. *Dn. Berlichius P. 2. con-*  
*clus. 51. n. 28.* Hoc modo, si nimirum de universali here-  
ditate, aut quotâ ejus parte pacta sunt concepta, tunc  
alteruter Conjugum etiam alterâ parte invitâ ab iis re-  
siliire, & voluntatem mutare possunt. *Berlich. d. l. n. 26.*  
quoniam ultima voluntas ambulatoria est usq; ad mor-  
tem *l. quod si 4. ff. de adm. vel transf. Legat. l. cum hic status*  
*32. §. penitentiam 3. ff. de Donat. inter Virum & Uxorem.*  
Priori autem modo, si pacta Dotalia etiam in vim pacti  
& contractus sustineri possint, v. g. Si pactum de lucrò  
Dotis aut Donationis propter nuptias tantum initum,  
tunc alter renunciare semel constitutâ obligationi, ad-  
versariò non consentiente, non potest secundum *l. sicut.*  
*5. C. de O. & A.* Vid. *Dn. Bachovius ad Treutl. vol. 2. Dissut. 7.*  
*Thes. 7. Nobiliss. Dn. Hahn ad Wesenb. d. Pactis Dotalibus n. 4.*  
*v. Illud questionis est.* Nihil enim tam naturale est, quam  
eò genere quidque dissolvere, quò colligatum est *l. 33.*  
*ff. d. R. J. & huc bene etiam quadrat l. 58. ff. de Pactis.*

TH. XXXII. De-



TH. XXXII.

Deficientibus autem Pactis Dotalibus uxor superstes ex statuto ad successionem admittitur, illudq; ex bonis Mariti consequitur, quod cujusq; loci consuetudo, seu statutum peculiare ipsi defert. Sic statutum Lipsiense defert mulieri tertiam partem Bonorum Mariti, *cujus statuti verba refert Magnif. Dn. Carpzov. Jp. For. P. 3. Constit. XX. Def. 6. n. 7.* Wenn einem Weibe der Mann stirbet / mit welcher keine Ehestiftung auffgerichtet / derselben soll frey stehen / und die option zugelassen seyn / ihr Eingebrahtes zu fordern / oder nach conferirung aller ihrer Güter aus ihres Mannes verlassenen Erbschafft den dritten Theil neben voller Gerade zu nehmen. Quod statutum indistincte procedit, quamvis liberi extent. *Dn. Carpzov. d. l. Cujus Lipsiensi statuto Wittebergense consonat.* Stirbet ein Mann / und verlässet Weib und Kind / so wird der Wittben aus den Gütern nach Stadtbrauch der dritte Theil zu ihrem angehörigen Erbe oder Antheil gegeben. Ita & in aliis locis, in quibus Jus Saxonicum non observatur, varia quoq; de hac Successione extant statuta, quæ recenset *Dn. Habn. ad Wesenb. Tit. unde Vir & Uxor n. 3.*

TH. XXXIII.

An verò Vidua bona sua necessario debeat conferre, illaq; imputare in Portionē statutariam, Cæstionis est. Sanè si ex Jure Electorali cōmuni succedit mulier, affirmativam expressè dispositam invenimus *P. 3. Const. Elect. 20.* Wo aber diese Dinge ungewiß / (scil. ubi neq; Pactis Dotalibus de successione certi quid dispositum, neq; statuto locali aut firmā consuetudine modus succedendi

endi ordinatus, ) und es stirbet der Mann vor seinem Weibe / und läst nach sich Kinder von der ersten und (juxta textum Latinum vocula und per oder emendanda) andern Ehe/eines oder mehr / so soll sein Weib ohne Unterscheid / ob sie Reich oder Arm / nach Bezahlung der Schulden / aus allen ihres verstorbenen Mannes übrigen Gütern einen vierdten Theil nehmen und haben. Ließ aber der verstorbene Mann keine Kinder / so soll seinem überlebenden Eheweib aus seiner Verlassenschaft nach Ablegung der Schulden einen Drittheil folgen / und die Frau in beyden Fällen alle ihre eingebrachte anererbte / und andere Güter zusampt der Gerade / in die gemeine Theilung zu bringen schuldig seyn. Jedoch soll der Frauen in alle wege frey stehen / ob sie zu ihrem eingebrachten Gut / oder aber nach Gelegenheit der Fälle / zu dem vierdten oder dritten Theil greiffen will / und ihr solche Wahl ohne Unterschied / es hätte der verstorbene Mann Kinder oder nicht / in einem oder den andern Fall / wie obstehet / gelassen werden.

TH. XXXIV.

Sed quid si statutò locali certa pars bonorum Viduæ deferatur, neq; simul exprimat, utrum conferre debeat nec ne bona sua, veluti Th. ab hinc alterà statutò Wittebergensi Viduæ in casu existentium liberorum tertiam partem bonorum deferri vidimus? Hoc casu Viri duo in Jurisprudentiâ Saxonica versatissimi Dn. Berlich. P. 3. Conclus. 27. n. 48. & Dn. Carpzov. P. 3. Const. 20. Defin. 7. Viduam onere collationis haud gravandam putant, seqq. rationibus moti (1.) Quod sanctio illa de confe-

conferendis bonis in Personâ Viduæ sit exorbitans à Jure  
Communi, quod collationem descendantibus tantum,  
non vero personis extraneis, qualis Vidua est, imponit,  
adeoq; ad specialia locorum statuta non extendenda.

(2.) Quod Vidua portionem ex pactis Dotalibus petens  
onere collationis gravari haud debeat: ergo nec, si petat  
ex statuto, cum pacta Dotalia & statuta localia in *d. Const.*  
20. conjungantur. (3.) Quod statutum de bonis defuncti  
disponens ad conjugis adhuc superstitis bona neutri-  
quam trahi debeat. Vid. *Dn. Carpzov. d. Const. Defin. 7.* Sed  
de hac sententiâ dubitare liceat, vel ideo, quod *Novella*  
*D. Electoris Augusti* sine dubiò in Electoratu Saxonico Jus  
commune faciant, cui proinde conformanda statuta  
localia sunt, quantum fieri potest, antequam ad Jus Ci-  
vile recurramus, interpretationem ex eo petitori. Con-  
firmant hoc *verba illa d. Const. 27.* Wo aber diese Dinge  
ungewis. At ubi statutum de collatione nihil exprimit,  
(ubi enim collatio expressè seu injuncta, seu remissa,  
illi standum erit,) incertum esse, num velit conferri  
bona à Viduâ nec ne, nemo non videt. Accedit deniq;  
quod ex peculiari Rescriptò *Electoris Christiani II.* in casu,  
quo statuto certa pars bonorum Viduæ defertur, ipsa  
optionem & jus eligendi bona illata non habeat, *verb.*  
Do auch Divisio hæreditatis inter Viduam & Liberos  
vel hæredes Mariti gesucht würde / hinführo auff das  
statutum, oder Gewohnheit / so des Orts beständig  
herbracht / præcisè geurtheilet / und der Wittben dies  
sesfalls die optio, und Wahl zu ihren Einbringen  
nicht verstattet werden soll. Apud *Dn. Carpzov. d.*  
*Const. 20. Defin. 13.* quod absone diceretur, si vidua  
partem hæreditatis ex statuto petens bona illata simul  
repetere posset. Equidem *Dn. Carpzov.* hoc Rescriptum

tantum de casu interpretatur, quando statutò viduæ collatio expressè injuncta est *d. Desf. 13. Et preced.* Sed nos causæ nihil videmus cur non & de statutò, quod collationem expressè nec injungit nec remittit, exaudiendum sit. Deniq; notamus illam Doctorum nostrorum sententiam ex eò ortam videri, quod ipsi collationem in Personà Viduæ prodiosa habent, cum tamen non tam collatio, quàm bonorum inter Conjuges communio, quam Jus Saxonicum fovet (*Vid. supr. à Th. 17. in fin.*) fundamentum hujus Decisionis sit. Bonorum autem inter Conjuges communionem nemo odiosam dixerit, cum naturale maximè sit, bona inter eos esse communia inter quos ipsa corpora communia sunt. *argum. L. Hac L. 8. C. de Part. Convent.* Plura discursui reservamus.

TH. XXXV.

De Jure Civili quid obtineat, inquirendum jam nobis est, si nimirum nulla pacta Dotalia sint facta neq; etiam statutum vel particulare, vel universale (quo nomine Jus Saxonicum Electorale intelligimus) adsit, quod de Dote mulieris aliquid disponat. Et expeditum est, quod mulier contenta esse debeat rebus suis, nec ulterius quicquam ex bonis Mariti petere valeat, cum *Authent. Præterea C. unde Vir & Uxor* tantummodo succurrat Viduæ indotatæ & inopi, cui si tres vel pauciores supersint liberi ejusdem, seu alterius matrimonii, defertur quarta omnium bonorum, sin verò plures, portio virilis. Liberis tamen communibus proprietat servatur, quàm verò vidua accipit, si improlis sit secundum *Nov. 117. cap. V. Et d. Authent. C. unde Vir & Uxor.* Vid. & *Di. Carpzov. de Juribus Eccl. Decad. 8. Post. 4. n. 13.*

TH. XXXVI. Vi.

TH. XXXVI.

Vidimus hactenus de Jure Retentionis viduæ in bonis Mariti at communibus competente. Sequitur, ut quò modò idem dissolvatur, dispiciamus. Modus autè Primarius Jus hoc tollendi est, si Viduæ solvatur, quòd ipsi debitum fuit. Tunc enim Jus suum, quòd per Retentionem exercuit amittit, & ex bonis Mariti excedere, sibiq; quæ ad victum & amictum necessaria sunt aliunde quarere necesse habet. Tollit enim solutio debitum *l. Solutam. 49. ff. de Solut. §. 1. Inst. quibus Modis tollit. obligat.* quòd Primarium, & tantum non unicum fundamentum est, quòd Jus Retentionis nititur: eo ergo sublato, hoc etiam corrumpi necesse erit.

TH. XXXVII.

Porro non dubitamus, quin Jus hoc Retentionis etiam aliis mulier cedere possit. Cum enim tacita hypotheca, cujus effectus est Retentio, semper cohæreat actioni, non verò Personæ: Hæc autem transeat ad quosvis hæredes, Ergo etiam transibit ad cessionarium, cum omne transmissibile etiam sit cessibile *l. 42. ff. de Administrat. Tut. Vid. C. Mevius d. l. n. 22. & 23.* Facit etiam quòd Jus Retentionis, ratione Impensarum transferri possit per cessionem *l. 14. §. 1. ff. comm. Divid.* Ergo & ratione Dotis, de qua nulla lex est in contrarium.

TH. XXXVIII.

Dubium movet *Mollerus ad Constit. Saxon. Const. XXI. P. 2. n. 6.* qui argumentatur à Majori ad minus. Nimirum ususfructus transferri nequit *l. si ususfructus. 66. ff. de*

*ff. d. J. D.* Ergo nec Jus Retentionis, quod minus est usufructu, in hoc enim & fructus lucratur usufructuarius, non vero in illò, quò mediante Vidua tantummodo accipit necessariam alimentationem. Sed distingvimus inter usufructum ipsum & ejus exercitium, usufructus ipse non potest alienari secundum *L. 66. ff. de J. D.* cum personæ cohæreat, Bene vero ejus exercitium. Vid. *Dn. Carpzov. ad d. Const. Defin. 16. n. 7. & 8.*

TH. XXXIX.

Affines Retentionis sunt Repressaliæ, quæ fiunt ex autoritate Principis ob justitiam denegatam. *Dn. Wissembach. Disput. ad Duos Postremos Tit. ff. Disput. 28. n. 13. Bernbard. Schotan. in exam. Jurid. p. m. 249.* & capiuntur, detinenturq; Personæ & res alienæ Jurisdictioni suppositæ, ut per viam facti alter, qui Jurisdictionem habet, jus cogatur reddere & dicere. Nobiliss. *Dn. Præses in Discurs. Priv. ad Synops. Juris Publ. Becker. lib. 2. c. 4. n. 14.* De Repressaliarum Justitiâ an justè instituantur non est quod dubitemus. Sunt enim Repressaliæ quædam belli species. Vid. *Conrad. Olemann. ad Hubert. Giph. Lib. 4. Inst. Disput. 48. n. 43.* Aut certè belli quidam veluti fomes & parascève. *Nobil. Dn. Ziegler. Disput. de Repressaliis n. 6. & 8.* Bella autem sunt justa, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bellò petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum, vel reddere quod per injurias ablatum *C. Dominus 23. q. 2.* Ergo & Repressaliæ, si ex his urgentibus causis à Magistratu concedantur, non nisi justè dicendæ erunt. Non obstat, quod in Repressaliis ex delictò Judicis, seu potius Principis civis inquietetur & molestiâ afficiatur. Consideratur enim tali casu Civis non

non ut privatus sed ut membrum Reipublicæ, Princeps  
verò ut ejus caput. Ergo propter mysticam unionem,  
quæ inter caput, & membra unius corporis, nempe Rei-  
publicæ intercedit, quodammodo ipse ille, qui deli-  
quit, plecti videtur.

TH. XLI.

Sed hoc locò non inepte etiam Quæritur, An  
status, cum adversus se invicem Repressalias exercere  
nequeant, per *ordin. Cam. P. 2. Tit. 26. Gaill. de Pign. c. 2. num. 3.*  
quod cives sint unius Reipublicæ, quibus in Judicio de  
Justitiâ causæ disceptare licet. *R. I. Anno 1570.* prohibean-  
tur & hoc Jure adversus extraneos uti. Sed affirmati-  
vam sententiam sequor *Excellentiss. Dn. Præsidis in Discurs.*  
*Priv. ad Synops. Becker. d. l.* Qui consuetudinem illam,  
de quâ testatur *Cubach. Cent. 5. Dec. 2. quest. 2.* quod status  
Repressalias concedere soleant, non penitus impro-  
bandam putat, cum æque Statibus injunctum sit officium  
Magistratus, ut subditis suis Justitiam adversus eos, qui  
nullò communis Civilis Juris vinculo cum ipsis colli-  
gati sunt, procurent, & nulla lex Positiva prohibeat,  
quo minus Repressalias concedere possint adversus ex-  
traneos. Cautè tamen in hóc negotiò procedendum,  
ne temerè bello implicetur Respublica universa.

TH. XLII.

Inter Affinia etiam connumerari possunt Pigno-  
rationes: quæ verò cum fiant sine Autoritate Princi-  
pis ob turbatam Jurisdictionem vel Possessionem, in  
totum sunt prohibita. *Novell. 52. c. 1. ordin. Cam. Part. 2.*

D

tit. 22.

tit. 22. Ultimo deniq; & huc refero compensationes cum  
omnis compensans retineat secundum *L. verum est 4. &*  
*l. ob Negotium 20. ff. de compensat.* Vid. & *Dr. Hahn. ad We-*  
*senb. d. t. num. 8. & 9.* Hæc sunt, quæ de hæc Materiâ  
elegantissimâ & Practicabili, exercitii gratia proferre  
lubuit. Te nunc rogamus Benevole Lector, ut si  
quæ fortè minus accurate sint apposita, aut per errorem  
omissa, benigne & dextre interpretari velis. Vale &  
fave.

S. D. G.



**Q**ui genus atq; avos tantum jaçant, alieno,  
Non autem proprio parte labore crepant.  
At qui contendunt generi conjungere claro  
Virtutem, hi verâ Nobilitate vigent.  
Hos tu, non illos meritò Schirstedt imitaris,  
Dum de Juridicâ differis arte bene.  
Macte tuo hoc studio, tibi sic cumulabitur ingens  
Doctrina decus, & Nobilitatis bonos.

Hæc gratulab. addebat

MICHAEL LEDERERUS, JUD.  
Juridicæ Facultatis Assessor  
& p. t. Decanus.

Ad



*AD*  
*Generosum ac Nobilissimum,*

*Juvenem,*

**JOHANNEM CHRISTIANUM  
A SCHIERSTEDT,**

*Equitem Magdeba*

*publice disputaturum.*

**P**rimam operam Svadae, SCHIERSTEDTI  
culte, locasti,

Notitia historiae cura secunda fuit:

Tertia, qua sancte posses componere mores,

Ac virtutis iter cum ratione sequi.

Nunc Themidos pulsare fores industrius instas,

Maxima & a Divae puncta favore tenes.

Mox patriae effundes, quas seite hic colligis artes:

Quamq; opibus felix illa futura tuis!

**Otho Prætorius,**

Serenissimi Elector. Saxon<sup>i</sup>

Historiographus, Prof. P.

& Fac. Philos. Decanus.

*Pictate*

175

**P**letate verâ, moribus Sanctissimis,  
Fide integrâ purâq, amoris laudibus  
Et obsequiis, jugis, diligentia,  
DEO, Sophis, Sociis, Tuâ Matri & Tuis,  
Satis probasti Te hætenus, memor Tui  
Muneris & inclytæ Tuæ prosapiae,  
SCHIERSTEDE. Dumq, publico jam sistere  
Partam eruditionem amas, quis igneam  
Tui ingenii vim non amat? quis non probat?  
Sic decet & inclytissima prosapia.  
Addere novum splendorem, a vitâq, in dies  
Augere laudem accessionibus novis.  
Quæis de Tuâ, Tibi Tuisq, gratulor!

Quod Generoso ac Nobilissimo  
Viro. JUVENI DN. JOHANN. CHRISTIANO  
à Schierstedt / Equit. Magdeb. Fautori  
Commensali atq; Amico dilectissimo  
cum voto prosperitatis omni-  
modæ devoto deprop.

Constantinus Ziegra/  
S.S. Theol. D.





Wittenberg, Diss., 1667

ULB Halle


3


004 716 299



WMA







Farbkarte #13

B.I.G.

*id. N. 13. D. 12.*

I. N. 7.  
RATIO JURIDICA  
*De*  
RETENTIONIS  
I COMPETENTE  
IN  
NIS MARITI, *1667 5*  
*Quam*  
ci & Amplissimi Jctorum Ordinis  
*In*  
orali ad Albim Academia, *3 1/2*  
PRÆSIDE  
*no, Consultissimo & Excellentissimo*  
ELMO LEISERO,  
*in hâc Academiâ famigeratissimo, Curia*  
*inatus & Facultatis Juridicæ Assessore*  
*Gravissimo,*  
*re ac Patrono suo æternum colendo*  
*ca Ventilationi submittit*  
an von Schierstedt / Nobil. Magd.  
Jctorum, horis antemeridianis,  
Die Februarij.  
\*\*\*\*\*  
WITTEBERGÆ,  
MICHAELIS Wendt.  
Anno M DC LXVII.

